tota nitriorum natio monachorum abbas vehementissime increpat et carpit. Unde interdum Hieronymus noster valde irasci solet quod dixerit nos usque ad vomitum saturari. Ego autem inquit Gallus illi vero ignosco atque ita sentio de orientalibus illum potius monachis quam de occidentalibus disputasse. Etiam edacitas in grecis gula est, in gallis natura. Tum vero Scolasticus: tamen quam Galle defendis gentem tuam. Sed queso te liber iste numquid hoc solum vitium damnat in monachis? Immo vero inquit nichil penitus omisit quod non carperet laceraret exponeret, precipue avari: ita nec minus vanitatem insectatus est. Multa de superbia, non pauca de superstitione disseruit. Vere fatebor promptior esse michi videtur vitia multorum. Ceterum de familiaritatibus virginum et monachorum atque etiam clericorum quam vera quam fortia disputavit. Unde a quibusdam quos notare nolo dicitur non amari. Nam sicut Hieronymus noster irascitur

edacitatis nimie nos notatos, ita illi fremere dicuntur cum in illo opusculo scriptum legunt: Celibem spernit virgo germanum fratrem, querit extraneum. Adhuc ego nimium inquam Galle progrederis. Cave ne et te aliquis qui hec fortassis agnoscit exaudiat teque una cum Hieronymo incipiat non amare. Nam quia scolasticus es non immerito te versu comici illius admonebo es: obsequium amicos veritas odium parit. Tua nobis potius ut referas Postumiane repetatur orientalis oratio. Ego inquit ut dicere institueram apud Hieronymum sex mensibus fui. Cui iugis adversus malos pugna perpetuumque certamen concitavit odia perditorum. Oderunt eum heretici quia eos impugnare non desinit. Oderunt clerici quia vitam eorum insectatur et crimina. Sed plane eum boni omnes et mirantur et diligunt. Nam qui eum hereticum esse arbitrantur insaniunt. Vere dixerim catholica hominis scientia sana doctrina est. Totus semper in lectione totus in libris

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 244v – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/de/vad/0070/244v)